# AD QVODLIBETARIAM QVÆSTIO MEDICA MATVTINIS AGITANDA DISPVTATIONIBVS, IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS V. MENSIS DECEMBRIS, MAGISTRO GVLIELMO LESCAILLON DOCTORE MEDICO, MODERATORE.

*An Variolis & morbillis Vtraque euacuatio?*

MORBORVM natura medicatrix collectam intus plethoram aut cacochymiam ipsa motu interiori & suo vacuat expurgátve; interdum δι' ἐκκρίσεως, hæmorrhagia insigni, copioso sudoris vel vrinæ profluuio, aluinâ dejectione vel vomitu; interdum δι' ἀποθέσεως, vt puta ἐπὶ τὸ δέρμα, quod, cùm sit totius corporis emissarium, minore periculo humores excipit morbificos. Sanè optandum est vt pueris adhuc à partu recentibus pullulent in capite vlcera, à quibus si immunes sint, epilepsiæ magis sunt obnoxij: neque terrorem afferre debent ἐξανθήματα, quæ in mulieribus apparent, quibus menstrua substiterunt: nec semper malis ægri rebus efflorescit in cute icterus despumante quasi aheno ac ex fundo ad summum protrudente: & in febribus, quas lenticulas vocant, satius est puniceis cutem compungi notis. Priuato jure partes principes cloacas habent suas, hepar ad inguina, cor sub alas, cerebrum pone aures, quò deponunt illuuiem. In his omnibus facultas excretrix suum officium facit.

QVOD SI IPSA partes probè exequitur suas, & exhaurit quicquid molestiam affert, totum illi negotium committendum est, neque pudere debet medicum quòd otiosus sedeat spectator non audens νεωτεροποιέειν; neque propterea eius ars aut opera censenda est inutilis, quæ naturæ mediis conatibus deficienti segnitérve operanti, vt sæpe fit, manum præbet auxiliarem, & humori erupturienti διέξοδον parat. Ars est certior dux quàm natura. Naturæ tamen motum ars sequatur, &, quæ educi oportet, quò maximè vergunt, illac educantur per loca conuenientia. Hinc sanguinis missio, hinc remedia non foris intrò repellentia, sed intus foras educentia diaphoretica, sic diuretica, eccoprotica, emetica, metasyncritica, quibus naturæ conatus onus sponte excutientis adjuuatur.

EODEM CONATV erumpunt papulæ (variolas & morbillos vocant) non illa quidem veterum ψυδράκια aut φλυζάκια, sed exanthematum species illis ne audita quidem. Noua quippe terris morborum quondam incubuit cohors, atque etiamnum potest noua, adeò sortis humanæ τὸ ἐπίκηρον καὶ νοσῶδες aliquid semper monstri aut parit aut patitur. Pudendagram Europæis non ita pridem misit India; variolas & morbillos vicissim Indis aduexit Europa, altera alteri malas merces. In hoc pernicioso commercio damnosáque commutatione, vtris damnum fuerit maius palam est. Lues hæc θανάσιμος longè deterior, & sæua libidinis vagæ quasi Tisiphone, quam alioqui, sicut & variolas, probabile est aliquando desituram. Illæ minus habent κακοηθείας, acuti tamen sunt morbi, sæpe lethales, pestis nomine non immeritò nuncupati.

CONTAGE inficiunt pueros potius quàm adultos, mares quàm fœminas, consanguineos quàm alienos: grassantur tamen ἀπροσωπολήπτως, & quouis tempore, magis verno, neque vlli parcunt aut ætati aut sexui, imò non contenti sæuijsse semel interdum repetunt. Mortales ægri hostem gerimus intestinum, non materni sanguinis purgamenta, sed nostrum, nostrum inquam sanguinem & ichores, qui, vbi in venis vitium concepêre, magnam intus cient ἀταξίαν, delirat æger, aut graui sopore vinctus jacet, frequenti sternutatione concutitur aut vomitu, illi facies rubet tumétque, oculis injussæ fluunt lacrymæ, nunquam abest febris. Interim omnes se mouet in partes natura, si perniciem possit extrudere, donec fiat φλύσις, & emergant pustulæ, in varijs variæ, plures, pauciores, nec semper vnius coloris. Bene est si & citò erumpant, & sine dolore maturentur ac suppurent, si albæ sint potiùs quàm virides aut nigræ, si facilis adsit spiratio, absistat febris, mens constet. Sin contrà, exitium portenditur.

FERVS QVIDEM morbus est & fœdus; sed nugas agunt qui προφυλάξει arcere cogitant, cum ineluctabilis sit necessitas. Eius contra feritatem, si quid valet, valet sanguinis missio, siue ille sectâ venâ educatur, siue admotis cucurbitulis, siue hirudinibus. Ætas puerilis, aut popularis quiritatio potest αἱμοφόβον deterrere, non autem prudentem medicum, qui audet etiam post eruptionem ἐκθυμάτων. Atque vt initio naturæ expellenti opitulatur phlebotomia, neque vnquam nocet enematum vsus; sic ad extremum prodest κάθαρσις, quæ restitantem illuuiem euacuat, alioqui ne inclinante quidem morbo tuta est salus. Dum sua tempora percurrit, corpus à frigidioris aëris inclementiâ sartum tectum teneatur, animus ob omni perturbatione, nisi fortè irâ, somnus sit modicus, victus parcus & tenuis, non tamen ita vt vllis vesci carnibus sit nefas. Mediam inter alimenta & medicamenta vim habent caricæ & lentes, in quibus efficax remedium. Sed in primis juuant maiora illa, de quibus antè, præsidia, φλεβοτομία & κάθαρσις.

*Ergo Variolis & morbillis Vtraque euacuatio.*

Asserebat LVTETIÆ IOANNES TOVRNIER Baralbanus, A. R. S. M. DC. XIII.




## DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

*M. Iacobus Perreau*
*M. Gulielmus Gerbault*
*M. Franciscus l'Espicier.*

*M. Quintus le Vignon*
*M. Dionysius Guerin*
*M. Iacobus Letus.*

*M. Andreas le Gros*
*M. Ioannes le Mercier*
*M. Michaël Toutain.*